



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-840773-p0001-3

DFG



Pri. 58. num. 16.

1773, 11<sup>9</sup>

P. 294  
8.  
**QUAESTIONEM IURIDICAM:  
AN HERES DELIBERANS  
BENEFICIO INVENTARI  
UTI POSSIT?**

SUFFRAGANTE AMPLISSIMO ICTORUM ORDINE  
PUBLICO EXAMINI SUBMITTUNT

PRAESES

**CAROL. SIEGFR. ABRAH.  
DE AEMINGA**

I. U. D. ET SUMMI REG. TRIBUN. ADVOC.

ET

RESPONDENS

**IOANN. CASIM. HENR. GRAVE**

REG. DICAST. ADVOC.


DIE XXV MENS. MAI<sup>T</sup>. A. MDCCCLXXIII.

---

GRYPHISWALDIÆ  
LITTERIS A. F. RÜSE  
REG. ACAD. TYPOGR.



CHRISTIANUS MUNDICUS  
AN HERRN DILEXIRANS  
GENITIO ILLATI  
UT POSSIT  
SCHOLARUM OMNIA AMBIVIT  
SCHOLARUM OMNIA AMBIVIT  
HABENS  
CHRISTIANUS MUNDICUS  
DU AEMINIGA  
CONVIVIIS ET LIBERIS  
TURMUS  
CHRISTIANUS MUNDICUS  
DU AEMINIGA  
CONVIVIIS ET LIBERIS  
TURMUS



§. I.

**H**eredem, suscepta hereditate, in locum defun-  
cti succedere, eumque adeo repraesentare,  
notum est, quam quod notissimum; (a) Un-  
de confusione iurium & obligationum defuncti & he-  
redis oriri constat. Quam ob rem hic non modo iuri-  
um defuncti redditur particeps, verum etiam ad obli-  
gationes eiusdem implendas obstringitur, etiam si here-  
ditas debitibus solvendis non sufficiat. Quae cum ita  
sint, haud raro contingere potest, ut heres improvi-  
dus praeeceps in suam ipsius perniciem agatur, nimium  
timidus vero, qui nullius animi, nullius consilii est, pro-  
ficiam repudiet hereditatem. Romanorum vero cum  
interessest, ne periculo insignem rei familiaris iacturam  
faciendi heres exponatur, neve hereditates sint destitu-  
tae, illi ius deliberandi & beneficium inventarii salutari

## A confilio



consilio dedere. Illud a praetore inventum, ab antiqua  
cretione (b) arcessendum esse videtur. Nam olim ab  
ipso testatore, qui heredem cum cretione instituebat,  
huic tempus deliberandi dabatur. Quid vero si, here-  
de fine cretione instituto, additionem hereditatis urge-  
rent creditores, substituti, vel legatarii? Tum praetor  
ab herede aditus, huic, imitatione testatorum, spa-  
tium deliberandi concessisse videtur (c). *Eft ergo ius*  
*deliberandi nihil aliud, nisi ius heredis intra tempus aliquod*  
*consultandi, an hereditatem suscipere sibi proficiat.* Cuius  
quidem temporis spatium arbitrio magistratus determi-  
nandum esse praetor edixit (d). Sed iure novo subla-  
tum est hoc magistratus arbitrium, duoque casus a se  
invicem sunt discernendi. 1) Urgentibus eis, quorum  
interest (e), heredi certum tempus ad deliberandum  
praescribitur: Annale quippe, si imperator rogetur, sin  
magistratus, novem mensium (f). 2) Nemine urgente,  
heredi, quamdui superstes est, hereditatem amplecti non  
denegatur, nisi tertius iam huic praescripsit (g).

(a) ARNOLD. VINNIUS in *Comment. ad §. 5. I. de*  
*hered. &c diff.*

(b) CRETIO denotat 1) certorum dierum spatium,  
quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum ex-  
pediat ei adire hereditatem, nec ne. ULPIANI Fragment.  
Tit. XXII. §. 27. apud ANT. SCHULTINGUM in *Ju-*  
*risprudent. Anteinstein. pag. m. 642 & 643. 2) Sol-*  
*lem-*

3

semnen: hereditatis aditionem indicat. Ita ULP. d. l. §.  
28. cernere, inquit, est verba cretionis dicere ad hunc  
modum, cum me MÆVIUS heredem instituerit eam he-  
reditatem adeo cernoque. 3) Significat etiam, mea  
quidem sententia, sollemnem formulam, qua quis adiecto  
tempore scriberetur heres; velut „Titius heres esto cer-  
nitoque in diebus centum proximis, quibus scieris poten-  
risque, nisi ita creveris, exheres esto.“ ULP. tit. loc. Sic  
cretio dicitur vel vulgaris, vel continua. *Vulgaris*, cui  
adiiciuntur haec verba, quibus scieris poterisque; *conti-  
nua*, cui non adiiciuntur. Illa heredi tempus utile ra-  
tione initii, haec continuum dabat. ULP. Tit. XXII. §.  
31 & 32. Ita etiam heres cum cretione vel sine cretione  
institutus dicitur. ULP. ibid. §. 25. 29. 30. Ibi sollemnis  
formula exhibita erat, hic non aequa.

(c) JAC. CUIACIUS ad Tit. Dig. & Cod. de iur.  
deliber.

(d) l. i. §. 1. & l. 2. ff. de iur. delib. modo non pauci-  
ores centum diebus heredi praestituantur cit. l. 2. Intra  
centum dies vero olim cernendam fuisse hereditatem,  
ULPIANUS meminit in *Fragn. Tit. XXII. §. 27*: Un-  
de iuris deliberandi cum cretione similitudo appetet.  
Sed isti centum dies, non pauciores, sollemnes erant in  
cretione non libera, ut ostendit JAC. CUIACIUS in *Obs.  
Lib. IX. Cap. 29*. qui de cretione eleganter, ut solet,  
commentatur. In cretione libera, cuius formula erat



*cernito cum volueris, tempus ab arbitrio heredis dependebat.*

- (e) ut creditoribus substitutis & legatariis.
- (f) *I. fin. §. 13. C. de iur. delib.*
- (g) *I. 7. C. de petit. hered.*

### §. 2.

cuinam com- *Competit ius deliberandi heredibus tam voluntariis, quam  
petat suis & necessariis (a). Merito tamen excluduntur here-  
des necessarii in specie sic dicti, seu servi a domino suo he-  
redes scripti. Nam hi hereditatem & vel nolentes ipso  
iure ita adquirebant, ut ab ea abstinere non possint (b). Si servus alienus heres institutus erat, domino ipsius ius  
deliberandi competebat (c).*

(a) *I. 1. pr. & I. 8. ff. de iur. delib. I. 19. C. eod. nec  
obstat §. 5. I. de hered. qualit. & differ. quam optime  
interpretatur ARN. VINNIUS in Comment. ad eandem.*

(b) *§. 1. I. de hered. qual. & differ.*

(c) *I. 1. pr. ff. de iur. delib.*

### §. 3.

II. Benefici-  
um inventa-  
rii.

Sed deliberandi facultas heredi non sufficiebat, cum, licet ea usus sit, sine periculo tamen hereditatem subire non posset. Quod perspiciens *praetor* minoribus beneficio restitutionis in integrum succurrerit (a). Dein *Hadrianus Imperator* sanxit, ne maiores etiam vi-  
ginti



ginti quinque annis ultra facultates hereditatis teneantur, „si post aditam hereditatem grande aes alienum emerisset, quod aditae hereditatis tempore latebat (b). Quod ad milites postea restrinxit GORDIANUS (c). IUSTINIANUS vero binis, ut ipse refert, heredi prospexit constitutionibus. Altera harum transmissionem iuris deliberandi in successores, quam in antiquis legibus invenerat, stabilivit, altera Hadriani constitutionem restaustrasse videtur (d). Tandem IUSTINIANUS indulgentia antecessores superare, novoque beneficio heredes plane tutos reddere voluit. Quapropter eis *beneficio inventarii* (e) prospexit, quo, *interveniente publica rerum hereditiarum descriptione*, *confusio iurium atque obligationum defuncti & heredis impeditur*, eo effectu, ne hic ultra vires hereditatis creditoribus teneatur (f). Consulitur hoc beneficio cunctis heredibus, tam voluntariis, quam necessariis, tam scriptis, quam iis, quibus haereditas ab intestato defertur (g)

cuinam de.

(a) §. 5. I. de hered. qualit. & diff.

(b) §. 6. I. eod.

(c) cit. §. 6. & l. fin. pr. C. de iur. delib.

(d) l. 19. C. de iur. delib. l. fin. pr. eod. „Scimus, inquit IUSTINIANUS, „in genere iam duas esse promulgatas a nostra clementia constitutiones, unam quidem de his, qui deliberandum pro hereditate sibi delata existimaverint, (quae in l. 19. C. all. deprehenditur) aliam autem de improvisis debitibus & incerto exitu per di-

„versas species ei imposito.“ Posterior constitutio non amplius superest, ut observat HAHNIUS ad Wesenb. in Tit. de iure delib.

(e) Designatio bonorum publica s. publica auctoritate facta inventariorum audit, cui specificatio privata opponitur. Quomodo inventariorum ad amissin iuris Romanii ab herede conficiatur, ipse adeo IUSTINIANUS docet l. fin. §. 2. C. de iur. delib. Et Nov. I. Cap. II. §. 1. Praxin Germaniae tradunt LAUYERBACH. in Colleg. Theor. Praef. Lib. XXVIII. Tit. VIII. §. 13. & qui de Pomerania nostra in specie agit MEVIUS Part. II. Decis. 356. Quare haec, aliaque trita, ut a scopo huius differentiationis aliena, sicco pede transeo.

(f) Ut perspicuitatis rationem habeam, descriptionem quam disinitionem dare malui.

(g) quod probat cit l. fin. pr. verbis: „Ex omnibus itaque ipsis unam legem colligere nobis apparuit esse hummanum, & non solum milites adiuvari huiusmodi beneficio, sed etiam ad omnes hoc extendere, non tantum si improvsum emerserit debitum, sed etiam si onerosam quis invenerit quam adiit hereditatem — §. 1. „Cum igitur hereditas ad quendam five ex testamento, five ab intestato sit delata, five ex aife, five ex parte, si quidem recta via adire maluerit hereditatem nullo indiget inventario. §. 2. Sin autem dubius, utrumne admittenda sit, nec ne defuncti hereditas, non putet si bi

„bi esse necessariam deliberationem, sed audeat hereditatem, vel se immisceat, omni tamen modo ab ipso inventarium conficiatur.“

§. 4.

Quod ad differentiam attinet specificam, quae inter ius deliberandi & inventarii intercedit beneficium, illa ex notionum collatione facile patet. Adhibito enim iure deliberandi hereditas est iacens, eiusque aditio ad futuram heredis declarationem suspenditur. Verum simulac inventarii beneficio utitur heres, ipso facto adit hereditatem (a), ita tamen, ut ad obligationes defuncti implendas etenus tantum obstringatur, quatenus ipsis ex bonis a defuncto relictis satisfieri potest.

(a) Aditionem hereditatis hic & in sequentibus in sensu generaliori accipio, quo immixtionem complectitur, quemadmodum occurrit in *lege 4. C. de in infit. Et substit. & l. ult. C. de abstin. vel repud. hered. vid. BRISSONIUS de verb. signif.*, sub voc. *adire hereditatem.*

§. 5.

Praemissis igitur notionibus iuris deliberandi & beneficii inventarii, discutiendum est, an postquam hoc a JUSTINIANO inventum, ius deliberandi heredi quidquam utilitatis praestare possit. Nam si plane inutile est, disquirere non proficit, an heres deliberans beneficio inventarii uti valeat. Praestat fane utilitatem. Evidem lar-

III. Jus deli-  
ber., post-  
quam con-  
cessum est  
benef. in-  
vent., adhuc  
utilitatem  
praefat.  
1) genera-  
tim  
gior,



gior, ius deliberandi, post datum inventarii beneficium non tantae, quam olim, esse praestantiae. Nec inficias ire possum, hoc saepe fructuosius esse. Ideo tamen illud non omni, quantum mihi cernere est datum, destituitur utilitate.

a) ut heres  
durante spa-  
tio deliber-  
nummos  
quaerat,

Nam 1) durante spatio deliberandi hereditas est ia-  
cens (a). Unde fluit, quod isto tempore nondum fi-  
nito aeris alieni solutio ab herede exigi nequeat. Op-  
portune igitur, nec sine fructu, deliberandi iure utitur,  
si parata pecunia destitutus praevidet, fore, ut credi-  
tores aeris alieni solutionem a se exigant, simulac here-  
ditatem suscepit. *Ita enim inducias accipit novem mensi-  
um vel anni, eoque tempore nummos quaerere potest.* Nec  
heredem hic quidquam iuvat inventarii beneficium am-  
plete*ti*. Nam hoc non impedit, quominus heres statim  
intra modum patrimonii defuncti solvere compellatur,  
ita ut nummis deficientibus res hereditariae alienentur.  
Ex subitanea vero alienatione insigne damnum plerum-  
que oriri neminem fugit.

(a) *diff. §. anteced.*

### §. 6.

b) ut famae  
defuncti con-  
fusulatur,

2) Heredi, ut Iustinianeo beneficio fruatur, inven-  
tarium est conficiendum (a). Sed hoc confecto facul-  
tates defuncti omnium oculis exponuntur. Unde con-  
tumelia in illum redundare potest. *Famae defuncti vero,*  
cuius

9

cuius rationem ius Romanum maxime habet, *iure deliberaudi consulitur* (b). Nam hoc adhibito, confectione inventarii haud necessaria est. Obstat quidem videtur *I. fin. §. 14. C. de iur. delib.* cuius verba haec sunt: „ne-„cessum est enim omni modo deliberantem inventarium „cum omni subtilitate facere.“ Sed salva res est. Ex mente enim IUSTINIANI, dictae legis auctoris, distinguendum est, an heres confecerit inventarium, vel minus. Illo casu, si hereditatem fuscipit, creditoribus quidem in solidum obligatur, sed integrum est ipsi legatariis aliisque, qui titulo singulari lucrativo aliquid ex testamento capiunt, quartam falcidiā detrahere. Hoc casu existente eo respiciendum est, *an adeat hereditatem*, tumque non solum creditoribus in solidum satisfacere teneatur, sed etiam beneficii legis falcidiae expers est; *an vero repudiet hereditatem*, quo facto hanc creditoribus secundum iuratam specificationem restituere debet (c). Manifestum est igitur, inventarii confectionem heredi non absolute necessariam esse, eamque ipsi hypothetice tantum iniungi, si legis falcidiae uti velit beneficio.

(a) *Diff. §. 4.*

(b) vid. ARN. VINNII *Comment. ad §. 5. I. de hered. diff. & qualit. & ULR. HUBERI Praelect. ad Dig. Lib. XXVIII. Tit. VIII. §. 2.* Huius tamen sententias calculum non adiicio, qua dicto loco statuit, quod ci-  
vies ideo quoque ius deliberandi malle debeat, quam

B

bene-



beneficium inventarii, „quod mos conficiendi inventarii ex praescripto legum hodiernarum molestior & tumultuosior, adde periculosior sit, quam iure civili dictatum est.“ Conf. LAUTERBACH. Colleg. Theor. Praef. Lib. XXVIII. Tit. VIII. §. 13. & praesertim MEVIUS Part. II. Dec. 356.

(c) Fluunt haec distinctiones ex adductae *I. fin. C. de iur. delib. §. 14.*

### §. 7.

e) si testator confectionem inventarii heredi valide interdixit, (a) h. e. neque in fraudem creditorum, neque legitimae, huic liberandi facultas tantum superest (b). Heredi enim denegandum videtur inventarii beneficium, propterea quod ipsi repertorum confidere, prohibente testatore, non licet. Hereditas vero si omisso inventario suscipitur, patrimonium defuncti & heredis confunduntur. Quam ob causam res ad ius vetus redit, vi cuius ex additione hereditatis patrimoniorum confusio semper oriebatur (c).

(a) Num vero testator confectionem inventarii in heredis praeiudicium valide interdicere potest? Negativam defendit LAUTERB. in *Colleg. Theor. Praef. Lib. XXVIII. Tit. VIII. §. 9.*, propterea quod nemo in testamento suo cavere potest, ne leges in suo testamento locum habeant, *I. ss. ff. de legat. 1.* Ego vero huic sententiae subscribere non possum. Nam 1) POMPONIUS

in

◎ ◎ ◎

II

in dicta lege ad cautionem usufructuariam respicere videtur. Disquirit videlicet, si coniicere fas est, an testator, qui heredi usumfructum legatorum reliquit, ei cautionem usufructuariam remittere possit. Negat hoc, perhibens, quod nemo in testamento suo cadere possit, ne leges in testamento suo locum habent. Rationem reddit, quia nec tempore aut loco aut conditione finiri obligatio heredis legatorum nomine potest, h. e. quia obligatio usufructuarii ad praefundam cautionem a testatore nullo modo remitti potest, *I. 7. C.* ut in possess. legat. *I. 1. C. de usufructu.* Constat enim ius publicum seu absolutum privatorum voluntate mutari non posse, *I. 38. ff. de paſſis.* *I. 15. C. eod.* *I. 5. §. 7. ff. de admin. tut.* *I. ult. ff. de suis & legit. hered.* *I. 13. C. de teſtām.* Sed beneficium inventarii, quo heres concocto inventario fruatur, iuri permisivo innititur. Quare illud heredi per indirectum adimere potest testator, dum ipsi concessionem inventarii prohibet. 2) Testator, respectu heredis, est instar legislatoris. Innuit hoc decantata illa *LL. XII. Tab. regula:* paterfamilias uti legassit de pecunia tutelave rei suae, ita ius esto. Quae quidem regula & iure Romano novo obtinet, quatenus restrictio arbitrii testatoris ostendi nequit. Sed talis ratione prohibitionis inventarii non adest. 3) Testator de tractionem quartae falcidiae prohibere potest, *Nov. I. Cap. II. §. 2.* Cur eidem statuere non licet, ne heres inventarium conficiat, adeoque beneficio inventarii non



utatur? 4) Legem 55. §. 1. de leg. 1. IAC. BRUNNEMANN. quidem in Comment. ad Dig. de forma testamenti intelligit, sed  $\alpha$ ) ipsum falli arbitror, quia non video, quomodo, hac interpretatione adsumta, explicari possint verba legis finalia: „quia nec tempore, aut loco, aut conditione finiri obligatio heredis legatorum nomine potest.“  $\beta$ ) Etsi BRUNNEMANNO quis adsentiret, inventarium tamen non pertinet ad formam testamenti.

(b) Nisi alicubi, ut in Saxonia, iurata specificatio sit loco inventarii, de quo BENED. CARPZOVIVS Part. III. Cap. 33. def. 18. aliique testantur. Sed hoc iure in Pomerania, teste MEVIO Part. VI. Dec. 4n., non utili-  
mum.

(c) Conf. SAM. de COCCII Jur. Controv. Lib. XXVIII. Tit. VIII. qu. 2.

### §. 8.

$\alpha$ ) Heredi in specie prod- simul vel successively iure deliberandi & beneficio inven- delib. iure  
deliberandi & benef. in- tarii frui liceat, facile est ad intelligendum. Nam tunc vent. simul non modo tempus ipse est, statum hereditatis investi- vel successi- gandi, sed sine periculo etiam hereditatem amplectitur.  
ve uti valet.

### §. 9.

$\beta$ ) Iustiniani sententia de utilitate iur. delib. Quanquam igitur iuris deliberandi utilitas in apri- co sit, illud tamen, IUSTINIANO, postquam benefici- um inventarii introduxerat, inutile, immo reipublicae noxiun esse videbatur (a). Nec tamen directe ius a  
prae-

praetore datum abrogare consultum esse duxit (b). Rationes ipse adfert, ne antiquitatis penitus contemtor esse videatur, neve amplius tristibus supplicationibus fatigetur, quas sibi antea repetita vice oblatas esse perhibet (c). *Invitus vero heredi deliberationem connivet.* Ut ipsi ergo hanc dissuadeat, ius deliberandi varia ratione limitavit cavitque, ut heres hoc utens inventarii careat beneficio.

(a) §. 6. I. de hered. qual. & diff.: „Sed nostra benevolentia constitutionem tam aequissimam quam nobilissimam scripsit, cuius tenorem si observaverint homines, licet eis adire hereditatem, & in tantum teneri, quantum hona hereditatis valere contingit, ut ex hac causa neque deliberationis auxilium sit necessarium, nisi omisso observatione nostrae constitutionis & deliberandum existimaverint, & lese veteri gravamini aditionis supponere maluerint.“ *I. fin. pr. C. de iur. deliber.* „Nec satis necessarium erit deliberationis auxilium, nisi hominibus formidolosis, qui & ea timent, quae nulla digna sunt suspicione.“ *Diſ. I. §. 13.* „Et haec quidem de his sancimus, qui deliberationem nullam petendam esse curaverint, quam putamus quidem penitus post hanc legem esse supervacuum & debere ei derogari. Cum enim liceat eis adire hereditatem, & sine damno ab ea discedere, ex praesentis legis auctoritate, quis locus deliberationi relinquitur? Sed quia quidam vel vana formidine vel callida machinatione pro deliberando nobis

„supplicandum necessarium existimant, quatenus eis li-  
 „ceat annale tempus tergiversari & hereditatem inspic-  
 „re, & alias contra eam machinationes excogitare &  
 „eandem deliberationem flebilibus assertionibus repetita  
 „vice saepius accipere: ne quis nos putaverit antiquitatis  
 „penitus esse contemtores, indulgemus — eis petere de-  
 „liberationem &c.“

(b) Iustinianum raro hac moderatione usum esse largior. Solebat enim antiqua, quae non ad palatum erant, directe pro summa qua pollebat auctoritate abrogare.

(c) dicit. l. fin. §. 13. C.

#### §. 10.

IV. Heres  
 iur. delib.  
 & benef. in-  
 vent, uti ne-  
 quit

Ad quod quidem probandum, I. nostrum erit ut ostendamus, heredi *simultaneum usum iuris deliberandi & beneficii inventarii* competere non posse. II. Quo facto demonstrabimus, heredi *nec successive ius deliberandi & beneficium inventarii*, ex iuris Romani sententia, esse tribuendum. Hoc ut pateat, per partes ibimus, probaturi, quod heres deliberans a beneficio inventarii repellatur 1) tam si finito spatio deliberandi, 2) quam eo durante dicto uti velit beneficio. Illud argumentum §phi 13. erit; hoc §phi 14. & seqq. reservamus.

#### §. 11.

1) *simil.*

I. Quod igitur ad quaestionem attinet: *an heres iu-*

re deliberandi, & beneficio inventarii, simul, uti possit, Iustini- ob ipsam re-  
nianum hoc non expresse interdixisse putamus. Nec rum natu-  
hic expressa opus erat prohibitione, siquidem ipsa rerum  
natura obstat, quominus proposita affirmetur quaestio.  
Nam heres, si deliberatione utitur, secum volvit, num  
hereditatem subire, an vero eandem repudiare consul-  
tius sit. Quare ius deliberandi supponit rem adhuc in-  
tegram esse, adeoque heredem nondum suscepisse here-  
ditatem. Ast heres simulac declarat, se beneficio Iusti-  
niano usurum, eo ipso adit hereditatem (a). Quod si  
igitur ille iure deliberandi cum beneficio inventarii  
uti valeret, sequeretur, ut hereditas eodem tempore ia-  
cens & adita esse posset. *Unde liquido constat, quod heres*  
*ex iure deliberandi & beneficio inventarii simul fructum capere*  
*nequeat.*

(a) §. 5. Diff.

§. 12.

II. Discussa igitur prima quaestione, ad alteram 2)successive,  
progredimur: licetne videlicet heredi ius deliberandi & be- ob sanctio-  
ne*nescium inventarii successive in suos usus convertere, seu quod aneam,*  
perinde est, an heredi, qui iure deliberandi usus est,  
ad beneficium inventarii pateat aditus (a). Rem ex  
ipsis adeo legibus earumque genuina interpretatione e-  
ruere nos oportebit.

1) Primo casum expendemus, quo heres, qui de- a) finito spa-  
liberatione usus est, finito spatio deliberandi, Iustinia-  
tio deliber-  
nei



nei beneficii particeps esse cupit. Imperator ipse decisionem suppeditat (b). Nam postquam determinatum tempus ad deliberandum concessit iussitque, ut semel tantum rogetur, pergit: „Sin autem hoc aliquis fecerit & inventarium conscriperit, (necessae est enim deliberantem inventarium cum omni subtilitate facere,) non liceat ei post tempus praesitutum, si non recusaverit hereditatem, nostrae legis uti beneficio, sed in solidum secundum antiqua iura omnibus teneatur.“ Iure veteri enim heres ipso facto additionis hereditatis creditoribus defuncti in solidum obligabatur, etiam si debitibus solvendis haud sufficeret hereditas (c). Indulxit tantum IUSTINIANUS, ut suo beneficio ornatus ultra vires hereditatis creditoribus haud teneatur. Sed hoc beneficium heredi disertis verbis denegat post tempus deliberationi praesitutum, seu postquam spatium deliberandi elapsum est. Quare si hoc contigit, ius vetus obtinet:

*Consequens est igitur heredi, finito spatio deliberandi, datum ad beneficium inventarii non amplius patere.*

(a) Inversus casus contradictionem involvit ob dicta in §pho antec.

(b) *I. fin. §. 14. C. de iur. delib.*

(c) *Diff. nostr. §. 1.*

### §. 13.

b) eo du-  
rante

2) Quid autem, si heres deliberans durante adhuc spatio deliberandi declaret, se beneficio inventarii usursum esse? 1) Tum forsan

37

forsan illi ius deliberandi haud denegandum esse videtur. quod pro-  
Namque IUSTINIANUS heredi tantum interdixit, ut post batur  
tempus deliberationi praefitatum sua legi utatur be- <sup>α)</sup> ex ipsa le-  
ges primo ac-  
nificio. Quare Imperator videri potest heredi *etiam* gumento.  
deliberanti beneficium inventarii concessisse, modo eo  
utatur antequam spatium deliberandi finitum est. Tan-  
tum vero abest, ut haec fuerit Imperatoris sententia, ut  
potius contrariam voluntatem evidenter declaraverit  
(a). „Cum enim, inquit, gemini tramites inventi sunt,  
„unus quidem ex anterioribus, qui deliberationem de-  
„dit, alter autem rudis & novus a nostro numine in-  
„ventus, per quem adeuentes sine damno conservan-  
„tur, electionem ei damus, vel nostram constitutionem e-  
„ligere, & beneficium eius sentire, vel si eam asper-  
„nandam existimaverit, & ad deliberationis auxilium  
„convolaverit, eius effectum habere, & si non intra  
„datum tempus recusaverit hereditatem, omnibus in  
„solidum debitum hereditariis teneatur, & non secundum  
„modum patrimonii, sed etiam si exiguis sit census  
„hereditatis, tamen quasi heredem eum in totum obli-  
„ligari, & sibi imputet quod pro novo beneficio vetus  
„elegerit gravamen.“ Patet ergo Imperatorem heredi  
tribuere facultatem eligendi, aut ius praetorium, aut bene-  
ficium a se introductum. An ergo heres, illo electo,  
hoc petere potest? Sane non meliori iure, quam in le-  
gato optionis legatarius postquam alterum elegit indi-

C

viduum.

viduum, alterum adhuc exigit; vel donatarius, cui ex duabus rebus alteram eligere permisum, utramque capiat.

(a) *I. fin. §. 14. C. de iur. delib.*

#### §. 14.

*altero argu-  
mento,*

2) Alterum argumentum ex eadem lege a nobis repetitur. Verba (a) haec sunt: „Et ideo ad ipsam de liberationis dationem, & divinum rescriptum super hac promulgatum hoc adiici volumus, ut sciant omnes, quod omnimodo post petitam deliberationem si adierint, vel pro herede gesserint, vel non recusaverint hereditatem, omnibus in solidum hereditariis oneribus teneantur.“ Ita vero illi tantum tenentur, qui beneficii inventarii participes fieri nequeunt.

(a) *diff. I. §. 14.*

#### §. 15.

*¶) exratio-  
ne iuris, ter-  
tioargumen-  
to.*

3) Conspirat etiam ratio iuris. Nam fallor, aut rite procedit ratiocinatio. Quod si introducto inventarii beneficio ius deliberandi plane superfluum esse indicat JUSTINIANUS (a); consequens est, ut tanto magis superfluum esse arbitretur, heredem tam iure deliberandi quam beneficio inventarii uti. Et quamvis ipse Imperator usum iuris deliberandi, licet dissuadens, permettat, de usu tamen solitario intelligi vult. Nam se-  
cus



eus sibi ipsi contradixisset, quod ex collatione §. 13. &  
14. perspicitur.

*Patet ergo, quod heredi deliberanti, nec durante adhuc  
spatio deliberandi, inventarii uti liceat beneficio.*

(a) cit. l. fin. §. 13.

§. 16.

Sed hic merito ratio postulatur, quare IUSTINIANUS heredem deliberantem a suo beneficio prorsus excluderit. Illa est, ut ab usu iuris deliberandi IUSTINIANO invisi abstineant heredes, eaque ratione istud ius paullatim in desuetudinem beat. Quod ideo efficiendum esse ratus Imperator, 1) quia beneficium inventarii heredi sufficere putavit, siquidem hoc dispendium, quod ex aditione hereditatis imminere poterat, avertit (a). 2) Accedit, quod IUSTINIANUS ius deliberandi plane superfluum esse iudicaverit (b). Quam obcaussam heres ad vetustum praetoris edictum configiens in contemptum novi beneficii agere videbatur (c). In talem vero contemptorem beneficii privatione eiusdem animadvertisendum erat.

(a) l. fin. §. 14. C. de iur. delib. & Diff. §. 13.

(b) diff. l. §. 13. & Diff. §. 15.

(c) Diff. §. 13.

§. 17.

Quae hactenus de usu iuris deliberandi & beneficii De usu iur.  
C. 2 cii delib. & be-



nef. invent. cii inventarii generatim demonstrata sunt ad minores dicta ad minores applicantur. quoque pertinere existimo. De usu simultaneo res ex-

pedita est, ob dicta in §. 11. Non magis vero minori competit ipsis successive uti. Nam 1) sanctio Iustiniani est generalis, adeoque ad omnes heredes pertinet. 2) Defunct leges posteriores, quae heredi minori hic magis indulgerent, quam illi, qui maiorem adeptus est aetatem. 3) Nec ideo ratione minorum exceptio statuenda est, quod his praetor restitutione in integrum prospexit. Nam hoc quidem beneficio illis succurritur ob *fragile & infirmum huiusmodi aetatis consilium* (a). Quare & minoribus ex aditione hereditatis damnum sentientibus praetor auxilium fert (b). Inde vero illis laesio contingere potest, tam si iure deliberandi usi sunt, quam si omis- sa deliberatione hereditatem suscipere nulli dubitarunt. Fluit ergo, quod utroque casu in integrum sint restituendi: siquidem tam ratio adducta, quam ipsae legum dispositiones ad utrumque casum spectant. Nec tamen ideo statuendum esse arbitror, quod minoribus eo ipso beneficium inventarii concedatur, quod adversus adi- tionem hereditatis damnosam, praevia deliberatione fa-ctam, restituuntur. Nam beneficium inventarii ab in- integrum restitutione multiplici ratione differt. 1) Si originem spectemus, huius auctorem agnoscimus praetorem, illius Iustinianum Imp. 2) Iura ipsa dictis con-cessa beneficiis maximopere a se invicem discrepant. (c)

Per

21

Per impetratam enim ab herede minore restitutionem in  
integrum, hic eum statum recipit, quo ante suscepit  
hereditatem gaudebat. Quam ob causam aditio hered-  
itatis perinde habetur ac si nunquam facta esset. He-  
res vero simulac beneficio inventarii utitur, adit heredi-  
tatem, adeoque omnes aditionis effectus in ipsum ca-  
dunt, praeterquam quod ultra modum patrimonii de-  
functi creditoribus haud teneatur. *β)* Ut heres inven-  
tarii fruatur beneficio inventarium conficiat necesse est.  
Contra ea minori restitutio in integrum adversus aditi-  
onem hereditatis haud deneganda esse videtur, negle-  
cto licet inventario. *γ)* Minor restitutus nil commo-  
di ex hereditate percipere potest. Nam per restitutio-  
nem in integrum in pristinum statum reducuntur o-  
mnia, adeoque heres talis esse definit. Contra ea vero  
contingere potest, ut heres beneficio inventarii orna-  
tus lucrum ex hereditate percipiat. Quantum igitur  
inter beneficium inventarii & restitutio in integrum  
intercedat discrimen luculenter patet, tametsi in eo  
conveniant, quod ad heredem indemnem praestandum  
utraque sint comparata.

(a) *I. i. pr. & §. i. ff. de minor. vid. Diff. §. 3.*

(b) *I. 7. §. 5. ff. eod. §. 5. I. de hered. qualit. &  
different.*

§. 18.

§. 18.

Conclusio. Itaque me satis probasse confido, quod heres, sit maior vel minor, iure deliberandi & beneficio inventarii neque simul uti possit, neque ipsi ista successive impetrare liceat. Quare huic dissertationi impono finem.



V  
D  
A8

ULB Halle  
005 372 003

3





**Farbkarte #13**

B.I.G.

|             | Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|-------------|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Inches      | 1    | 2    | 3     | 4      | 5   | 6       | 7     | 8       | 9     |
| Centimetres | 1    | 2    | 3     | 4      | 5   | 6       | 7     | 8       | 9     |
| 8           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 7           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 6           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 5           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 4           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 3           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 2           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 1           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |
| 0           |      |      |       |        |     |         |       |         |       |

Pr. 58. num. 16.

1773, 19

IURIDICAM:  
ELIBERANS  
INVENTARI  
POSSET?

IMO ICTORUM ORDINE

II SUBMITTUNT

SES

GFR. ABRAH.  
MINGA

EG. TRIBUN. ADVOC.

T

NDENS

HENR. GRAVE

ST. ADVOC.

AT. A. MDCCCLXXIII.

SWALDIAE

A. F. RÜSE

D. TYPOGR.

